



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 20. A Papa damnatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

tifex Univerſitatem, ceu foecundam tot inſignium Virorum Matrem publico elogio deprædicaverit. Cardinalis Embrodunenſis nomine Papæ Montefonum curia Papali exulare jubet, donec ejus cauſſa finita eſſet. Verum Monachus ſententiam ſibi nequaquam propitiam fore, & Parisios ad palinodiam cantandam ſe remiſſum iri ſuſpicatus, clam Avenione diſcedens, Arragoniam petiit, ubi Urbani VI. obedientiam profeſſus, contra Clementem VII. jura Urbani VI. edito opere propugnabat.

§. XX.

Montefonus a Papa damnatur.

EO diſcedente Pontifex Guidonem Præneſtinum Cardinalem tit. S. Sixti, & Amelium Cardinalem S. Eufſtachii in ea cauſſa Judices conſtituit, contra Montefonum damnationis ſententiam laturos. Itaque Avenione in domo ſua quæſitum, & accepta diſceſſus ſui die 3. Auguſti 1388. notitia, publico edicto eundem in jus
voca-

vocarunt, tanquam contumacem, & ut talem excommunicatum esse declararunt, præcipientes hanc anathematis sententiam solemniter publicandam, omnesque, qui cum eo aliqua societate uterentur, eandem poenam incurfuros. Data est hæc Cardinalium sententia die 27. Januarii 1389, & die 17. Martii ejusdem anni Parisiis promulgata; Ferrio quoque Cassinelo, Episcopo Antisiodorensi injunctum, ut hanc sententiam Regi porrigeret, ejusdemque executionem urgeret, sed illum in concedita sibi provincia immoderatiore fervore excessisse, ex turbis, quæ brevi subsequerentur, conjicimus.

§. XXI.

Decretum Universitatis.

*Hist. Univ.
Paris. tom. 4
§. 618.*

Facta hac Montefoni damnatione Academia decretum edidit, quo e sacræ facultatis gremio omnes, qui jurato Religiosi hujus errores damnare detrectarent, abscissos declarat, cavetque, ne deinceps ullus ad gradus